

ARTICULUS II.

Quomodo inveniatur voluntarium, aut involuntarium in his, quæ ex metu fiunt?

I. Plura dubia, quæ disputari solent ab auctoribus circa ea, quæ ex metu fiunt, nos ad tria præcipua reducimus. Primum est, quoad substantiam talium actionum: secundum, quantum ad modum: tertium, quoad effectum. Quoad substantiam est dubium, an operatio ex metu sit mixta ex voluntario, et involuntario, et in quo actu consistat; an in utroque. Quoad modum, an id quod ex metu fit sit simpliciter voluntarium. Quoad effectum, an contractus ex metu facti sint validi, vel irriti, et quando, vel quomodo.

OPERATIO EX METU EST MIXTA EX VOLUNTARIO, ET INVOLUNTARIO RATIONE MOTIVORUM.

II. Circa primum suppono duo. Primum est, quod aliquid esse mixtum ex voluntario, et involuntario, non sumitur modo physico, sicut ex pluribus miscibilibus conjunctis resultat mixtum, ut dicitur in libris de generatione; sed dicitur mixtum moraliter, seu ex parte motivorum, quæ concurrunt ad operationem ex metu, quia unum operatur, et conducit ad rationem voluntarii, aliud ad rationem involuntarii. Et ideo concurrere solent plures actus ad hoc ut aliquid ex metu fiat, licet cum aliqua ordinatione et respectu, ideoque moraliter censentur unum. Nam verbi gratia in tempestate, qua jactantur merces in mare propter periculum vitæ concurrunt hi actus. Primo, est simplex amor, et voluntas conservandi vitam, et simi-

liter est voluntas, quantum est ex se conservandi merces, et odium seu fuga ipsius periculi, et causæ incutientis metum. Secundo, proceditur ad intentionem finis, et voluntas simpliciter, et efficaciter intendit conservare vitam, et fugere periculum. Tertio, sequitur electio mediorum ad talem finem, et cum occurat medium, quod secundum se diplicet, scilicet jactura mercium et ex alia parte appareat quædam bonitas, seu convenientia ad illum finem consequendum, quatenus est alleviativa navis, tandem vincit ista convenientia illam displicentiam, et eligitur jactura de facto hic et nunc. Quarto, remanet quædam voluntas conditionata non exequendi istud medium sibi displicens, si cessaret causa metus. Unde qui ex metu operantur, languide, et remisse procedunt, quamdiu est aliqua spes cessandi causam metus, quia redeunt in propriam displicentiam, quæ est de re illa secundum se. Si tamen metus vehemens sit, et secludatur spes cessandi periculum, nisi per illud medium, potius ex metu accipiunt velocitatem, et diligentiam, nisi metus sit tantus, quod impediatur operationem. Hæc est dispositio operantis ex metu, non solum in effectu exteriori, sed etiam in affectu interno, in quo sic manet disposita voluntas.

III. Secundo advertendum est, quod quando dicitur aliquid fieri ex metu, ly ex dicit causam, et influentiam, et non solum concomitantiam. Unde aliud est fieri aliquid cum metu, aliud est ex metu. Dicit autem ly ex metu causam motivam, seu impulsivam, non efficientem. Constat hoc, quia multa possumus operari cum metu, et timore vincendo illum, et resistendo, sicut martyres vincunt metum tormentorum, et tamen sæpe cum timore accedebant, et cum dolore patie-

bantur. Et Apostolus dicit ad Philippenses III: *Cum metu, et tremore salutem vestram operamini*. Ipsa etiam spes metum solet habere ad junctum, nec tamen ex metu operatur. Aliquando vero operamur cum metu vincente nos, et obligante ad faciendum, quod alias diplicet, et tunc ly ex metu dicit influentiam alicujus causæ incutientis metum, et sic obligantis ad id, quod non vellemus; et tunc dicit causam motivam, seu impulsivam, non effectivam, quia metus operatur median- te propositione objecti terribilis, ratione ejus obligat ad contrarium consensum: operatur ergo ut causa motiva, hoc est ex parte objecti se tenens. Et in hoc differt a violento, quia violentum potius se habet in genere causæ effectivæ, eo quod violentum non est pro ipsa elicientia interiori, quam non tollit, nec potest impedire, sed solum pro exterioribus actibus imperatis, quos effective impedit, et in eis voluntatis applicationem tollit. At vero metus extorquet interiorem consensum, et inducit voluntatem ad eliciendum consensum quem alias nollet; et cum non possit metus effective consensum extorquere, solum extorquet motive, et objective.

IV. Illis positis, explicamus quomodo operatio ex metu sit mixta ex voluntario, et involuntario, non quidem physice (ut diximus) quasi coalescat, et resultat una entitas operationis ex pluribus actibus mixtis inter se, sicut miscentur liquores. Non est imaginabilis talis mixtura in actibus, quorum quilibet est forma actuans, non res composita ex aliis. Sed intelligitur operatio mixta ex voluntario, et involuntario, quatenus est ibi concurrentia plurium motivorum, aliud retardans, et repugnans, inducensque ad id quod displicet, scilicet malum imminens; aliud inclinans, et

atrahens, faciensque voluntarium, scilicet evasio periculi, et mali. Et ex his duobus vincit motivum inclinans ad operandum de facto rem alias displicentem, manet autem motivum repugnans, seu retardans respectu velleitatis, seu voluntatis conditionatæ, quia de se displicet illud medium, et rejiceretur si non staret causa metus. Quod in aliis voluntatibus conditionatis non occurrit, quia non semper intervenit voluntas ista circa objectum alias displicens. Quæ omnia intervenire in metu non aliter comprobatur, quam ipsamet experientia, quæ manifeste docet ex concursu istorum motivorum fieri ea, quæ ex metu fiunt, et ita inveniri unum motivum retardans, et repugnans, ac displicens quantum est de se, aliud magis vincens, et inclinans, nempe evasio periculi, seu mali imminentis, quod non absolute allicit, et inclinatur, sed ex suppositione causæ incutientis metum: unde si solvitur talis metus, et illa causa tollitur, non amplius voluntas eligit illud medium.

V. Dubium autem est in quo actu potissimum ponatur illa operatio mixta ex voluntario, et involuntario, an in actu absolute, quo de facto operatur quis propter metum; an in illo actu conditionato, et velleitate illa, qua vellet non sic facere si talis causa metus non subesset, verbi gratia, quando projicit quis merces in mare ex metu naufragii, dubium est, an in illo actu projectionis sit operatio illa mixta; an in actu velleitatis, quo vellet non projicere, si tempestas non esset. Aliqui enim ponunt actum illum mixtum ex voluntario, et involuntario in illo actu absolute electionis, quo eligitur, ut de facto projiciantur merces in mare, si quidem in illo actu, et inclinatur de facto voluntas ad projiciendum merces propter sal-

vandam vitam, aut evadendum periculum, et retardatur illa actio, quatenus cum tristitia, et displicentia projicit illas merces, vellet enim non projicere. Et in inclinatione projiciendi operatur motivum voluntarium; in retardatione, et tristitia, involuntarium. Alii constituunt illud mixtum non in actu illo absoluto projiciendi merces, aut eligendi projectionem, sed in actu conditionato velleitatis, quatenus vellet homo non projicere, et sub conditione quod cessaret casus periculi vult non projicere, et sic est involuntarius solum conditionate, dat vero locum voluntati, ut absolute sit volens projicere.

VI. Verius tamen, et probabilius videtur, voluntatem seu operationem ex metu utrumque actum, et utrumque motivum includere, et requirere, scilicet conditionatum non projiciendi, et absolutum projiciendi. Qui actus sunt realiter distincti sub diversis motivis procedentes, et unus est efficax, scilicet electio projiciendi, alius inefficax, scilicet velleitas non projiciendi; et potest unus manere sine alio, nam etiam post transactam projectionem jam non vult de facto projicere, quia cessavit ille actus, et durat ille actus inefficax, et conditionatus, quia non vellet projicere, si non adesset periculum. Item unus actus est per modum fugæ, alter est per modum prosecutionis; retrahitur enim a projectione illa, sed inefficaciter, et conditionate, quia proponitur ut disconveniens, et malum tale objectum; prosequitur autem projectionem illam efficaciter, et de facto; quatenus est alleviativa navis, et utilis ad evasionem periculi. Quæ omnia sunt sufficientia signa ad distinguendum istos actus, nam ex talibus formalitatibus, et rationibus alii actus distinguuntur. Quare ex utroque actu

denominatur voluntas operans ex metu, ex uno directe, et simpliciter; ex altero præsuppositive, et de connotato.

VII. Si autem inquiras, quisnam ex istis actibus se habeat in recto, et formaliter, ut dicatur operatio facta ex metu, et quis se habeat in connotato, respondetur quod formaliter consistit in actu absoluto, quo eligitur projectio mercium, præsupponit autem, et connotat conditionatum. Etenim in re, et de facto aliquid fit ex metu: id autem quod fit est illa projectio, et illa electio projiciendi; formaliter ergo, et in recto in illa operatione consistit id quod ex metu fit, aut eligitur. Cæterum quia præcedit, vel concomitatur displicentia, et tristitia de ipsomet actu, qui fit, quatenus sub conditione. Si non esset periculum, vellet non fieri, et iste actus inefficax est, et non vincit, sed potius relinquitur, ideo non pertinet formaliter ad id quod fit ex metu, sed de connotato, quatenus id quod de facto fit aliquid retinet de displicentia ex tali conditionato actu relicto, quod tamen quia non fit, solum connotatur, quia fieret, si periculum non esset. Itaque ad melius percipiendum quomodo misceatur voluntarium cum involuntario in his, quæ ex metu fiunt, solum oportet considerare, quod ea, quæ ex metu fiunt, assumuntur, et eliguntur a voluntate per ordinem ad aliquem finem, tamquam ad ipsum utile, et conveniens. Contingit autem, quod aliqua media eliguntur ad finem, non quia in se ipsis placent, sed præcise ob convenientiam aliquam ad finem, quæ tamen sublato illo fine non eligerentur, sicut est potio amara, scissio venæ, abscissio membri, et alia similia, quæ tamen in alio statu considerata, scilicet non ut media ad illum finem, sed secundum se, om-

nino displicent, et secundum voluntatem conditionatam, scilicet si non adesset periculum, vel necessitas acquirendi illum finem, non eligerentur. Ita prorsus se habent ea quæ ex metu fiunt, eliguntur enim tamquam media, alias secundum se displicentia, licet ex suppositione periculi, et ob finem illum evitandi periculum eligantur de facto.

VIII. Objicies: Nam observatio mandatorum Dei metu gehennæ est bona; et attritio de peccatis ob eundem metum etiam bona est, ut determinat Concilium Tridentinum, sess. xiv, capit. iv, et canone v: ergo non est mixta ex voluntario, et involuntario. Patet consequentia, quia si haberet involuntarium, et voluntatem conditionatam de opposito haberet hunc actum, si non esset infernus peccarem, et sic haberet complacentiam de peccato secundum se, conditionate haberet quoque repugnantiam, et tristitiam de conversione ad Deum, et de observatione mandatorum, quæ omnia non sunt bona, sed peccata.

IX. Nec potest dici quod metus quando incutitur a causa intrinseca, et non ex causa libera extrinseca extorquente consensum, non habet aliquid involuntarii. Nam contra est, tum quia jam, in hoc deficiamus a doctrina D. Thomæ, qui in hoc articulo quinto generaliter docet, quod ea quæ fiunt ex metu sunt mixta ex voluntario, et involuntario; tum, quia pœna inferni provenit ex voluntate divina puniente peccatores, non ex intrinseca natura timentis.

X. Confirmatur, quia illud involuntarium, quod invenitur in ista operatione, si datur, maxime provenire debet ex metu; sed ex illo non provenit; ergo. Minor probatur, quia metus potius est causa ut voluntas velit istam rem; imo est causa ut velocius, et intensius quis

operetur, quando metus crescit, quia magis urget; si autem metus retraheret voluntatem, et faceret agere remisse, quanto major esset metus, remissius ageret voluntas; cujus oppositum constat, quia urgente, et crescente metu, velocius aliquis operatur ex illo. Neque possunt ex eodem motivo duo contradictoria provenire, scilicet quod ex metu inclinatur aliquis ad operandum voluntarie de facto, et ad habendam repugnantiam, et rationem involuntarii de facto, scilicet ex motivo metus: ergo non est mixtum ex utroque.

XI. Respondetur multos circa hoc argumentum torqueri, et varias adhibere solutiones, quas superfluum esset referre, et impugnare, cum satius sit legitimam solutionem tradere. Admittimus ergo, quod illi actus facti ex metu gehennæ boni sunt, quando fiunt cum totali exclusione voluntatis peccandi, non illa voluntate retenta. Ut autem excludat voluntatem peccandi, non solum debet aliquis timere ipsum inferentem pœnam, et incutientem metum, sed etiam abhorrere fundamentum hujus pœnæ, quod est ipsa culpa. Et quia culpa non est, nisi sit voluntaria, debet abhorrere ipsum voluntarium culpæ, et ipsam voluntatem peccandi. Et sic talis metus non debet relinquere aliquid de involuntario, etiam conditionato, circa derelictionem culpæ, quæ est fundamentum, et causa hujus pœnæ. Itaque metus, solum habet pro causa, et fundamento operationem alterius agentis extra propriam voluntatem, ille metus causat involuntarium, et repugnantiam, et voluntatem conditionatam de non operando talem rem. Quando autem metus ita infertur a principio, seu voluntate extrinseca, quod habet pro fundamento, et causa meam propriam voluntatem, et quamdiu

illi adhæreo, punior, si recedo, dimittor; tunc ex tali metu resultat, quod propriam voluntatem, etiam simplicem et conditionatam mutem, utpote causam talis mali infligendi, et imminentis, et consequenter non displicet ex aliqua parte operatio, quam facio, et derelictio ipsa culpæ, sicque tollit omne voluntarium, quia tollit omnem causam talis mali, quæ est propria voluntas.

XII. Ad argumentum ergo in forma, respondetur concedendo antecedens, scilicet quod attritio orta ex metu gehennæ bona est, quando totaliter excludit voluntatem peccandi. Ad consequentiam ergo non habet admixtum involuntarium, distinguo; quatenus oritur ex vi metus, ut incussi ab alio, nego; prout causatur, et fundatur ille metus in mea voluntate adhærente culpæ, propter quam infertur illa pœna, concedo. Et sic metus formaliter, et quantum est ex vi sua causat involuntarium; per accidens autem quatenus metus in hac materia oritur, et fundatur in propria voluntate, bene potest tollere involuntarium, quia hoc ipso quod refugit causam inferentem metum, et pœnam minantem, abhorret etiam, et desistit a propria voluntate, quæ est fundamentum, et ratio inferendi talem pœnam, et metum illius, et sic incipit displicere ipsi ipsummet peccatum, et culpa; quæ est causa tantæ pœnæ, quæ timetur, atque adeo non est involuntarius circa derelictionem peccati, ad quod relinquendum movetur ex metu pœnæ, quia remota complacentia de peccato, non est involuntarius in illo relinquendo, licet ad hoc ipsum, quod est relinquere peccatum, et voluntatem peccandi moveatur ex metu. Itaque metus ille non est solum ad operandum aliquid exterius, et ad eligendum sic ope-

rari de facto, sed est metus incussus ad relinquendum etiam ipsam simplicem voluntatem, et affectum peccati, quia etiam propter illam punitur quis a Deo, et talis voluntas simplex est causa, et fundamentum illius pœnæ, et illius metus. Et quando talis metus incutitur ad tollendum etiam simplicem affectum alicujus rei, et non solum ad operandum efficaciter, vel eligendum aliquid, talis metus tollit totaliter involuntarium, quia tollit id quod est radix, et causa unde sibi placet oppositum ejus, quod operatur. Ex eo enim quia placet nobis oppositum ejus quod agimus ex metu, sumus involuntarii in eo quod ex metu fit, habentes conditionatam, et simplicem voluntatem oppositum faciendi. Si autem metus talis sit, quod etiam conditionatam, et simplicem istam voluntatem tollit, quia etiam illa est culpa, et est causa pœnæ, et timoris ejus, solvitur a metu illo omne involuntarium, quia omnis voluntas opposita tollitur, etiam conditionata; sed hoc est per accidens, non formaliter ratione, et vi metus, sed quia materia hujus metus fundatur in voluntate propria, etiam conditionata, et simplici.

XIII. Dices: Ergo in tali casu etiam tota ratio metus dissolvitur, nec ex illo movetur quis ad dolendum de peccato; ergo non habet timorem in derelinquendo ipsum, nec movetur ex timore, quia nullam habet voluntatem repugnantem de illa re, et sic non timet illam perdere, sicut nos non timeamus, nec timore movemur ad non habendum res, quas nullo modo amamus, nec ad nos pertinent, tamen autem ex metu cogimur ad aliquid, quamdiu voluntas remanet, quæ cogatur, et torqueatur ad oppositum ejus, quod vult.

XIV. Confirmatur, quia D. Tho-

mas universaliter loquitur de omni metu, dicens: « Quod quæ sunt ex metu sunt mixta ex voluntario et involuntario, » ergo contra ipsum nos excipimus ea, quæ fiunt ex metu causato, et fundato in nostra voluntate. Respondetur non solvi metum ex eo quod solvatur voluntas peccandi, etiam conditionata, et quoad simplicem affectum, quia semper illa pœna debetur ratione voluntatis præteritæ peccandi, quam sibi constat certo habuisse, et ob illam timet, et ex tali timore movetur ad relinquendam talem voluntatem, et sic quamdiu non retractat illam voluntatem, semper habet fundamentum timendi pœnam; imo postquam movetur ad detestandam illam, cum non sit certus de venia, semper habet unde timeat, juxta illud Ecclesiastici: *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

XV. Ad confirmationem respondetur nos non recedere ab universali doctrina D. Thomæ quia ipse loquitur de metu per se, et ex vi sua, et prout oritur a causa extrinseca inferente metum, non per accidens, quando ille metus juste infertur propter meam propriam voluntatem, quæ est causa justæ punitio- nis; tunc enim licet attentata ratione metus præcise voluisset non recedere a peccato, tamen attentata causa justæ punitio- nis, seu considerato illo metu, et ut rationabiliter incusso ob propriam voluntatem, mutat illam, et displicet illi peccatum, ut est ratio, et fundamentum illius metus justi. Quod si aliquis recederet a peccato solum propter metum pœnæ, retinendo in se voluntatem peccandi, si talis pœna non esset, non haberet attritionem. Quare D. Thomas tradit doctrinam universalem, et maxime formalem attendendo præcise ad formalitatem metus, non ad alias circumstantias illi immaterialiter adjunctas.

THEOLOGIA V.

XVI. Ad confirmationem principalis argumenti respondetur, quod si metus non solum urget pro ipsa re ut fiat, sed etiam pro circumstantia, ut cito fiat, quia periculum est in mora, tunc etiam inducit velocitatem, quia hoc ipsum intendit metus, et obligat ad illud. Si vero non urgeat metus pro ipsa festinatione temporis, vel pro aliis circumstantiis, tunc proceditur remissius, seu minus velociter, et cum quadam retardatione, quia pro illis non operatur ex metu, sed relinquatur suæ inclinationi, quæ potius in contrarium nititur. Et sic crescente metu, crescit festinatio, quando metus etiam versatur circa istas circumstantias. Ad id vero quod dicitur de duabus contradictoriis ex eodem motivo, respondetur illud voluntarium, et involuntarium in metu nasci secundum diversas considerationes, et motiva: sicut eadem mors Christi, ut redemptiva generis summopere placebat, ut erat actio Judæorum summe displicebat: et eadem abscissio brachii, ut causans dolorem displicet, ut conducit ad evitacionem periculi placet. Et sic non oriuntur contradictoriæ ex eodem formali motivo.

XVII. Instabis contra confessionem supra positam, quod concurrunt duo actus ad operationem ex metu, alter absolutus, alter conditionatus, quia non est necesse in violento, quod concurrat duplex actus ut aliquid sit mixtum ex violento, et naturali; ergo neque in metu. Consequentia patet a paritate rationis; metus enim quædam violentia moralis est, et objectiva: unde et qui allegant se fecisse aliquid ex gravi metu, violentiam allegant. Antecedens probatur in motu physico animalis, ubi elevatio pedis est violenta illi corpori, in quantum grave, et est naturalis eidem, ut viventi; et tamen non est ibi duplex actus, vel